

infra, lib. 4, declarabimus. Nec refert quod non omnes religiosi Societatis, sed illi tantum, qui specialem professionem faciunt, hoc votum emittant; tum quia illa est præcipua Societatis pars, per quam hunc finem principaliter intendit; tum etiam quia reliqui omnes ad illam ordinantur, vel ut ad illum gradum perveniant, vel ut illum in suo munere adjuvent, atque ita omnes ad eum finem tendunt. Hinc potest secunda proprietas intelligi; nam aliæ religiones, etiam mendicantes, ita respiciunt hunc finem, ut totum religionis pondus non illum principaliter respiciat, sed valde secundario, et quasi ex abundantia, ut sic dicam. Et ideo nec particulares religiosi, nec Prælati tenentur ita res suas aut suæ religionis disponere, aut procurare, ut proximorum utilitati et perfectioni deserviant, sed post interna et domestica officia sufficienter expleta, si commode possint aliquid proximis erogare, tunc ex perfectione charitatis, et ex ratione sui instituti debent, ut potuerint, proximis in spiritualibus deservire; at vero in Societate totum religionis pondus ad hunc finem ordinatur, nec satisfaciunt Prælati ejus suo muneri, nisi hunc finem præ oculis semper habeant, et ita omnia, quæ ad religionem pertinent, moderentur, ut omnes, quoad fieri possit, huic muneri incumbant; singuli autem religiosi eundem finem respicere debent, et ita se disponere, ut ad illum procurandum apti sint et parati: neque aliter suæ vocationi satisfaciunt, etiamsi in his, quæ ad propriam perfectionem pertinent, strenui sint, quod de cæteris religionis non procedit. Denique ob hanc causam Societas per se et ex primaria institutione est religio clericorum, seu presbyterorum, ut a Concilio Tridentino, sess. 25, c. 16, et a Pio V, et Gregorio XIII, nominata est, et in c. 5 explicabitur; quia nimirum actiones sacræ, quibus salus proximorum procuranda est, propriæ sunt clericorum; religiones autem monachorum, etiam mendicantium, per se non postulant clericatum, ut numero præcedenti notavimus, licet illum admittant; signum ergo est, non ita per se intendere finem salutis animarum, sicut a Societate intenditur.

CAPUT III.

QUIBUS MEDIIS UTATUR SOCIETAS JESU AD FINEM SIBI PRÆSTITUTUM.

1. Cur hoc capite de mediis ad finem explicatum agatur. — Quamvis tota ratio hujus ins-

tituti in his fere mediis posita sit, et ideo in discursu totius tractatus sigillatim et ex professo sint exponenda, nihilominus operæ pretium visum est illa hic summam colligere, quia neque utilitas, neque perfectio hujus religionis, neque aliæ proprietates, quas de illa ostendere intendimus, intelligi poterunt, non habita prius aliqua saltem generali notitia talium mediorum. Ut enim religio aliqua perfecta sit, non satis est quod perfectissimum finem habeat, nisi etiam mediis utatur ad perfectam illius finis consecutionem accommodatis; sicut neque e converso ad perfectionem religionis satis est in optimis se exercere operibus, nisi illa sint proprio fini talis religionis accommodata. Denique finis et media adeo sunt inter se connexa, ut, licet in generali constet ex dictis in præcedenti capite, quem finem intendat Societas, non tamen satis explicari valeat, quam perfecte et exacte finem illum intendat, nisi media, quibus ad illum consequendum utitur, considerentur.

2. *Duplex genus mediorum Societatis.* — Quoniam ergo finis Societatis duas principales partes includit, quæ sunt perfectio propria et proximorum, duplici etiam genere mediorum utitur. Unum est eorum quæ ad perfectionem propriam suorum subditorum ordinantur; aliud ea continet, quæ proximorum commodis inserviunt. Quia vero præcedenti capite, a n. 5, diximus ita Societatem intendere suorum sociorum perfectionem, ut totam illam quoad fieri possit perfectioni proximorum velit inservire; nam, ut dixit Bonifacius Papa, in c. *Sunt nonnulli*, 16, q. 1: *Quanto quisque est celsior, scilicet in virtute et perfectione, tanto est in his potentior*, in his videlicet actionibus, quibus salus proximorum procuratur: ideo possunt non immerito omnia media, quibus Societas utitur, dici esse ordinata ad proximorum salutem. Tamen in hoc est diversitas, quæ in idem fere redit; nam quædam ordinantur immediate ad propriam sociorum perfectionem, licet mediate etiam referantur ad alios; alia vero proxime et immediate versantur circa proximos ipsos, quanquam illa etiam in bonum ipsorum ministrorum redundant, ut superiori capite etiam tactum est, num. septimo, octavo et decimo.

Quibus mediis Societas immediate propriam sociorum perfectionem procuret.

3. *Media pro conservanda gratia.* — Item pro augenda et perficienda. — In priori ordine numerari imprimis possunt ea, quæ sunt sim-

pliciter necessaria ad perfectionem essentialem charitatis, sed hæc communia esse debent Christianis omnibus, continenturque sub observatione præceptorum omnium, et sub illo usu virtutum, tam moralium quam theologiarum, sine quo charitas observari non potest, de quibus mediis nihil hic in speciali dicere necesse est. Deinde numerari etiam hic possunt illa media, quæ ad perfectionem charitatis obtinent. Jam omnibus religionibus communia sunt, qualia sunt præcipue actus pertinentes ad tria vota essentialia, et ad internum Dei cultum, per orationes, meditationes, lectiones, et alia religionis opera. Item actus pertinentes ad corporis castigationem, et ad perfectam sui abnegationem, et mundi renuntiationem. Omnis enim religio, ut perfecta sit, aliquid peculiare in his omnibus observare debet, ex vi sui instituti, præter id quod ex vi præceptorum necessarium est. Hæc autem omnia Societatem perfecta quadam ratione procurare circa suos subditos manifestum est, nam imprimis tria substantialia vota religionis emittit. Et licet in modo vovendi in aliquibus membris suis aliquid singulare habeat, quatenus illa vota solemnia non sunt, tamen infra, lib. 3, ostendemus, hoc nihil eorum perfectioni obesse, quin potius multum prodesse posse, quia quantum est ex parte ipsorum voventium, sunt omnino perpetua, et æqualiter eos obligant: illa vero dependentia, quam semper a Societate habent, eos potius reddere potest et debet in ipsorum votorum perfecta observatione sollicitos.

4. *De perfectione castitatis in Societate observata.* — *Notatio contra accusantes Societatem nimis rigoris in quibusdam, et minimi in aliis.* — Aliunde vero ex parte materiæ exactam perfectionem in hujusmodi votis Societas profitetur. Licet enim verum sit, votum castitatis ex parte materiæ non admittere diversos gradus, ut S. Bonaventura, in Expositione regulæ, cap. 4, circa finem, dixit; propter quod etiam Pater noster B. Ignatius, 6 p. Constit., c. 1, § 1, ait: *Quæ ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum constet quam sit perfecte observanda, nempe nitendo Angelicam puritatem imitari, et corporis et mentis nostræ munditia.* In quibus verbis imitatus est Sanctos Patres, qui virginitatem profitentes cum Angelis conferre solent, quos superiori tomo retulimus, tractando de voto simplici castitatis; licet (inquam) hoc verum sit, nihilominus in modo et perfectione observandi castitatem, gradus aliqui distingui pos-

sunt, ut videri potest apud Cassian., collat. 12, cap. 7. Quos omnes, sine dubio, perfectio nostri instituti amplectitur, ut ex verbis Beati Ignatii patet manifeste. Possunt etiam (quod ad perfectionem magis necessarium est) distingui varia media, quibus et castitas custodiatur, et perfectio ejus acquiratur. Et in his mirum in modum abundat et excellit hoc institutum. Nam huc spectat summa superiorum vigilantia, et inferiorum charitas, ita ut ipsas etiam cogitationes statim manifestare et communicare moneantur, ut lib. 10, c. 6, magis exponetur. Item huc maxime refertur custodia sensuum, vitare otium, cavere colloquia feminarum, nisi cum magna circumspectione, necessitate, vel utilitate, sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ frequens usus, ac denique moderatio victus ac vestitus, cum aliis quæ ad asperitatem corporis pertinent, juxta uniuscujusque proportionatam mensuram, ut inferius, cap. 9, fusius exponemus; ibique satisfaciemus nonnullis objectionibus, quæ in hac parte nobis fieri solent. Solum adverto inter hæc media, quædam esse multum interna et spiritualia, alia magis externa et corporalia. Unde argui solet a suis detractoribus Societas, quod in prioribus rigorosior quam par sit, in posterioribus lenior esse videatur. Debuissent autem advertere, finem Societatis utrumque postulare, et non esse nimium, quod et fini perfecte consequendo moraliter necessarium est, et in se aliunde non habet excessum alicui virtuti repugnantem. Hæc autem in præsentia ita esse, et per se, credendum est, non solum propter auctoritatem Pontificum, sed etiam propter diuturnam experientiam et usum plurium virorum, qui et in vita et in doctrina irreprehensibiles fuerunt, et in particulari melius ratione ostendimus.

5. *De perfectione paupertatis Societatis.* — In votis paupertatis et obedientiæ possunt ex parte materiæ esse gradus, in quibus non omnes religiones pares sunt, Societati vero nihil perfectionis in hac parte deest. Primum enim circa materiam paupertatis consideratur abrenuntiatio proprietatis, et incapacitatis domini in particulari, quem gradum paupertatis amplectitur Societas in omnibus membris suis, sibi (ut sic dicam) ultimate unitis. Quod autem hoc ad tempus differat in Scholasticis, non minuit totius religionis perfectionem, ut per se notum est; neque etiam perfectionem ipsorum Scholarium, ut ex dicendis constabit. Secundo pertinet ad materiam paupertatis ca-

rentia proprietatis et domini etiam in communi, de qua religio Minorum mirum in modum, ac merito, gloriatur; illam enim *arctissimam paupertatem* vocavit Gregorius IX, in c. *Nimis prava*, de Excessibus Prælat., ubi non solum Minoribus, sed etiam Prædicatoribus illam attribuit, quia juxta primariam institutionem utriusque eam observare tenebantur, ut tomo præcedenti, disputando de religionibus mendicantium, dictum est; de facto tamen ex religionibus monachorum mendicantium sola religio S. Francisci in universum hanc paupertatem profitetur, ut colligitur ex Concilio Tridentino, sess. 25, c. 3, de Regular. Hoc autem paupertatis genus etiam Societas amplectitur in sua parte præcipua, ad quam reliquæ ordinantur, scilicet, in Societate professæ, ut constat ex bullis confirmationis Pauli III, et Greg. XIII, et ex 6 p. Constitutionum, c. 2.

6. *Quædam notanda quæ maxime arctam Societatis paupertatem commendant.* — *Primum.* — In quo notari possunt aliqua singularia et propria hujus religionis, quæ perfectionem hujus paupertatis augent. Primum, quod ad majorem ejus firmitatem et stabilitatem, non contentus B. Ignatius directo (ut sic dicam) voto servandi hanc paupertatem, voluit a professis etiam fieri aliud votum non permittendi, quantum in ipsis esset, mutationem fieri in Societate, in his quæ spectant ad paupertatis materiam, nisi per talem mutationem ipsa paupertas magis esset restringenda, cujus voti obligationem postea, lib. sexto, cap. sexto, expendemus. Secundo non satis fuit eidem P. N. prohibere, ne domus professæ redditus habeant, sed etiam vetuit ne Ecclesiis, sacristiæ aut fabricæ applicari possent, aut ulla alia ratione haberi, ita ut penes Societatem sit eorum dispensatio. Unde nec anniversaria, nec capellanias habere possunt, quod Minoribus prohibitum non est; quod etiam uberius infra, lib. quarto, cap. quarto, declarabitur. Nec minuit hanc perfectionem, quod hæc paupertas in communi in collegiis et domibus probationum non servatur, tum quia spiritus et perfectio totius religionis ex primaria ejus parte, et ex fine quo tendit, consideranda est; tum etiam quia domus professæ nullo modo juvari possunt proventibus Collegiorum aut domorum probationis; et non tantum professi, sed omnes etiam coadjutores eorum, tam spirituales quam temporales, cum ipsis degentes, eandem paupertatem servare debent, ut citato capit. nono dicitur, in numero tertio;

reliqui vero omnes, cum ad hunc perfectionis statum tendant, eodem paupertatis spiritu nutrirī debent. Tum denique quia, si in collegiis aliquid de hoc rigore remittitur, est propter altiorem finem, et rationem moraliter necessariam; ideoque simpliciter non diminuit perfectionem paupertatis, quæ non propter se, sed propter aliud appetenda est. Tertio, potest in paupertate considerari actualis usus ejus; et in hoc multa ponderari possunt in hoc instituto, quæ materiam hujus voti magnopere amplificat, quale est non posse admittere stipendium, vel eleemosynam ullam, per quam actio aliqua, vel officium, quod circa proximum exercetur, compensari videatur; item non posse aliquid in particulari recipere ad proprium usum, sed in omnibus, quæ ad victum et vestitum pertinent, ab his, quæ in communi distribuuntur, pendere; ac propterea, nihil hujusmodi in particulari posse recipere, aut in propriis cellis servare, non solum quia sine licentia Superioris hoc fieri non potest, quod fere aliis religionibus commune est, sed etiam quia talis licentia, juxta communem et constantem usum, et observantiam hujus religionis, vel nunquam, vel rarissime petenda est aut offerenda. Quocirca, si omnia sincere considerentur, exacte observatur illud Pauli: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Nam, licet in harum rerum usu non servetur maxima asperitas (quæ pars est non mediocri paupertatis), tamen juxta finem intentum servatur maxima moderatio, et, quod caput est, hujus usus mensura vel communis est, vel tota pendet ex alterius, scilicet, moderatoris, voluntate; et in his duobus consistit formalis perfectio hujus usus paupertatis, ut ex Basilio, sermon. 1, de Institut. monach., et regul. 41, ex fusius disputatis, et ex aliis facile intelligere licet. Atque hæc nunc sufficiant de hoc medio paupertatis attigisse.

7. *De perfecta obedientia in Societate observata.* — De obedientia, aliqua in præcedenti capite tacta sunt, quæ pro summaria enarratione, quam nunc facimus, possent sufficere, cum libro quarto, a cap. duodecimo, ex professo disputanda res sit. Non tamen omittam advertere S. Bonaventuram, in Expositione regulæ, c. 2, judicasse religionem suam cæteras in obedientia superare, eo quod aliæ limitate obedientiam promittant secundum regulam. Minores autem indefinite in omnibus, quæ mala non sunt. Sic enim B. Franciscus, in c. 10 suæ Regulæ, inquit: *Firmiter præci-*

pio eis, ut obediant suis ministris, in omnibus quæ promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animæ et regulæ nostræ. Quod etiam sensit D. Bernardinus in 3 p. operum, sermone de Obedientia, articulo tertio, ad duodecimum argumentum, et auctor Conformatum, p. 2, tract. 2; et latius Corduba, in Expositione regulæ, circa d. cap. decimum, quæst. secunda. Idem de religione sua asseruit Dionys. Carthus., opus. de Profes. monast., art. 21, ubi docet Carthusiensium religionem in obedientia cæteras omnes superare, quia absolute, et non solum secundum regulam, obedientiam profitetur. Ego vero, a comparationibus abstinens, solum assero totam illam perfectionem, quæ ex amplitudine materiæ in obedientiæ voto reperiri potest, in Societate inveniri, et in ipso instituto a fundatore Ignatio formaliter exprimi. Nam in 3 p. Constitutionum, c. 1, § 23, obedientia servanda dicitur in omnibus rebus, ubi peccatum non cernitur; et 6 p., c. 1, § 1, in omnibus rebus dicitur, ad quas potest obedientia cum charitate se extendere; et declaratur hujusmodi esse omnes, in quibus nullum manifestum est peccatum. Et ut perfectiori voluntate tota hæc materia suscipiatur, non in ea tantum generalitate ponitur, sed explicatur illis verbis: *Licet difficilia, et secundum sensualitatem repugnantia jubeat.* Modus etiam perfectissimus proponitur, dum dicitur: *Non solum in executione externa integre, prompte, fortiter, et cum humilitate debita, sine excusationibus et murmurationibus obediant; verum etiam contentur interius resignationem, et veram abnegationem propriæ voluntatis et judicii habere, etc.* Præterea, juxta varias constitutiones ejusdem instituti, et proprium hujus religionis spiritum et observantiam, est in hac religione maxima subordinatio inferiorum ad Superiores, et dependentia ab illis, etiam in minimis, servata proportione. Imprimis in toto corpore respectu generalis Præpositi, in quo maxima est potestas, et ejus immediatior influxus, seu gubernatio, quam in ulla religione invenitur, ut libro decimo, cap. quarto, constabit; deinde in singulis personis cujuscumque qualitatis, dignitatis aut antiquitatis sint, respectu propinquorum superiorum. His accedit speciale votum obedientiæ, quod fit Summo Pontifici, de quo, et de ejus speciali obligatione et perfectione infra, lib. 6, c. 4, dicemus.

8. *De mediis ad internam sociorum devotionem assequendam pertinentibus.* — Præter hæc, quæ sunt veluti fundamenta religionis, sunt

quàmplura alia media ad propriam perfectionem sociorum ordinata, quæ nunc summam ad duo capita revocamus, quæ postea, lib. 8, fusius expendemus. Unum est eorum, quæ pertinent ad internam animi devotionem et puritatem assequendam, quæ sunt præcipue, quæ ordinantur ad familiaritatem et unionem cum Deo consequendam, et ita ex eis pendet fons et origo totius spiritualis incrementi, in quo ipsa perfectio substantialiter consistit. Ad hunc ergo ordinem spectat quotidiana lectio, et meditatio, oratio et contemplatio. Item quotidiana, vel potius bis in die repetita conscientiæ examinatio, cum frequenti et valde circumspecto confessionis usu, juxta ea quæ traduntur in Examine, c. 4, § 23, et tertia parte Constitutionum, c. 1, § undecimo. Atque ad hunc finem ordinatur accurata institutio de rebus spiritualibus, et frequens de his rebus consultatio, et propriæ conscientiæ communicatio, tam cum superioribus, quam cum aliis Præfectis, quibus hæc cura demandata est. Præterea, ad eundem finem juvantur proprio ac peculiari exercitiorum spiritualium usu, quo non solum in ipso ingressu, sed perpetuo per singulos annos, ut libro illo octavo, cap. 4, in fine, adducemus, exercentur. Denique frequentes exhortationes spirituales, et familiaria de rebus divinis colloquia, quæ juxta sui instituti rationem inter socios esse debent, ad eundem finem ordinantur.

9. *De mediis ad propriam abnegationem, affectuumque mortificationem obtinendam.* — Aliud caput continet media omnia, quæ ad veram sui abnegationem et affectus mortificationem adhibentur. Nam statim in principio, in ipso examine admonentur, mundo ac proprio amori mortuos, soli Christo Domino vivere debere, et hanc abnegationem, et continuam in rebus omnibus mortificationem, quoad fieri possit, esse ab eis quærendam. Et tertia parte Constitutionum, c. 1, magnopere conferre dicitur, ut ea munera obeant, in quibus maxime humilitas et charitas exercetur. Item ut diligentissime curent portas suorum sensuum custodire. Maxime vero curat Societas, et honorum ac dignitatum ambitioni viam præcludere; et ideo professi Societatis peculiari voto obligantur extra Societatem eas non acceptare, nisi in conscientia ab eo, qui potest, obligentur; intra Societatem vero nec directe, nec indirecte eas procurare, ut lib. 6, a c. 7, tractabitur. Et ob eandem causam, ad tollendam omnem occasionem, Superiorum electiones, præterquam solius Generalis (hæc